circumcidit aures, qui facit eas surdas, ne voces improbo-
rum audiant; circumcidit ingenium, qui facit ad ſobrieta-
tem: circumcidit memoriam, qui bona fide obliviſcitur
injuriarum: circumcidit amorem vitae, qui odit animam
ſuam in hoc mundo, ut eam in futuro tueatur: Plu-
ribus quid opus? patet omnino ex dictis, duplicem eſſe cir-
cumciſionem: propriam aliam, ceremonialem, externam,
carnalem, viſibilem, ſacramentalem V. T. quo omnes
mares Dei juſſu in populo Iſraëlitico in praeputio carnis
circumcidebantur, ut conferretur juſtitia fidei, et obſi-
gnaretur foedus a Deo cum Abrahamo initum, proindeque
noſtra in N. T. regeneratio ac renovatio per baptiſ-
mum futura adumbraretur; aliam metaphoricam, mo-
ralem, ſpiritualem, inviſibilem et internam, quae fit
ſpiritu intus in corde, quando corrupta hominis natura
reſtituitur per gratiam Spiritus S. peccataque et vitia am-
putantur. Quae cum ita ſint, ad Te, O Chriſte mea jam fla-
bitur oratio: fac, quaeſo, ut per tuam gratiam circumcida-
mur, tui gratia, qui noſtri cauſa es circumciſus: fac omnem
immanitatem, omnem faſtum, omnem libidinem, omnia
denique vitia a nobis cultro Spiritus S. circumcidamus, ampute-
mus. Evelle e cordibus noſtris omnes vitiorum radices: elide
omnes fibras cupiditatum: extingue omnia nequitiae ſemina,
perſeca gladio verbi tui, quicquid in nobis redundat, ure
igne Spiritus S. ſpinas illas, quae in nobis perpetuo ſuc-
creſcentes ſemina tui effectus impediunt, ut expediti ponde-
re inutilium ſarcinarum perſequamur tua veſtigia ala-
criter.

Dixi.

Gotthardus Pfenderus
Schönberga-Luſatus.